

niendis. Illud vero Principium, quod rationis sufficientis vocant *d*), non satis probatum *e*), ambiguum *f*) atque falsum *g*) videtur.

- a*) Impossibile est, idem simul esse & non esse, sive: Duo Contradictoria non possunt simul esse vera, sive: Quodlibet est vel non est. Axiomata autem hæc ex ideis entis & non entis illico oriuntur.
- b*) e. g. idea creationis ex idea oppositæ productionis ex præexistente.
- c*) e. g. productum esse involvit aliquando nondum fuisse. E. productum non potest esse æternum h. e. nunquam non fuisse, vel: Causa (non qua Causa, sed qua Ens vi activa præditum) prior est quam effectus (non qua effectus, sed qua ens absolutum.) E effectus non potest simul extitisse cum Causa, vel coæternus eidem esse, si quidem hæc sit æterna.
- d*) V. Cl. Lud. Phil. Thümmigius Inst. Philos. Wolff. T. I. p. 41. his verbis ipsum enuntiat: Nihil est sine ratione sufficiente, cur aliquid potius sit, quam non sit. Ratio vocatur id, unde intelligitur, cur alterum sit. Unde principii rationis sufficientis hic est iensus: Si aliquid ponatur esse, semper erit aliquid, unde intelligi potest, cur illud sit. conf. Ipse Dn. Wolffius in Metaph. §. 29. 199. & Annotationibus ad has §§. & in Ratione Prælect. Metaph. §. 63. 199. atque Leibnizii & Clarkii Epistolæ.
- e*) Experientia enim, ad quam provocant, universalem propositionem Metaphysicam stabilire nequit; neque datur a veritatibus experimentalibus abstractio universales metaphysicas veritates producentis.
- f*) ratio enim & Causam efficientem & Causam Analyticam comprehendit, atque Principium rationis sufficientis in explicatione & applicatione nunc de Principio essendi, nunc de Principio cognoscendi accipitur.
- g*) namque oppositum huius Principii sc. *esse aliquid, ita tamen, ut nihil sit, unde intelligi potest, cur illud sit*, cogitari potest, neque est contradictorium. Ad hæc volitiones Dei liberæ, quas Clarkius in Ep. urget, itemque humanæ nonnullæ volitiones instantias contrarias suggerunt, de quibus in seqq. agemus. Imo ipsum Somniorum exemplum a Dn. Thümmigio prolatum instantiam largitur: fatetur enim in somnio nullam adesse rationem, cur vestimentum viride mutetur in cæruleum; ast somnium tamen fuit: Denique quare *to olz* certo scire non possumus, licet *to diolz* nesciamus?

§. XVIII.

Idealistis, qui Sceptici sunt *a*), Metaphysica non tantum non est accommodanda, sed multo potius Logicæ auxiliares præbet manus ad destruendos & refutandos gravissimos Idealistarum errores *b*).

- a*) Dn. Wolffius in præf. Metaph. secundæ edit. Idealistas & Egoistas Dogmaticis annumerat: ast, cum Idealista & Egoista in sensu exclusivo dicantur, quod præter Spiritus & mentem suam aliud ens dari negant, scepticos, minimum particulares esse, comparatio cum Sexti Emperici hypothesebus docebit.
- b*) e. g. Idealistæ sicut Mundus, ita etiam Deus erit ens rationis. Cum his si confero, quæ de objecto Metaphysices & Philosophiæ supra proposui, non possum Dn. Wolffio §. 787. & in præf. cit. largiri, Idealismum quæcunque de Anima & Mundo accurate doceri possunt, relinquere inconcussa.